



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joan. Baptistæ Santolii Canonici Regularis Victorini
Carmina Selecta**

Santeul, Jean de

[S.l.], 1679

Ad Illustrissimum Virum F. Butillerium Abbatem Chavinium, In Vanas
Poetarum Fabulas, Elegia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13401



AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM
F. BUTILLERIUM
ABBATEM CHAVINIUM,
IN VANAS
POETARUM FABULAS,
ELEGIA.



Te procul veterum figmenta incondita
Vatum,
Dique, Deæque, sacros nec violate
modos.

Ludicra fat nostras tenuistis Numina mentes,
Nec Dea Melpomene es, nec mihi Apollo Deus:
Antiquis liceat sic insanire Poëtis,
Quos vanæ lusst Relligionis amor?
Longè alius mentem ardor agit, dediscere nugas
Admonet, atque aliâ me jubet ire viâ.

A

2

Dux mihi Christus erit, fons rerum, & lucis origo,
Hoc uno Vates igne calere velim.
Parnassi pro monte, Sion se sanctior offert,
Ardet adhuc puro Numinis igne Sion.
Mons facer ille tulit meliori nomine Vates,
Vates qui falsos increpuere Deos.
Relligio melior postquam caput extulit astris,
Æternum imperium, quâ patet orbis, habet.
Se mundo Deus asseruit, Deus ille deorum,
Omnia supremis temperat arbitriis.
Unus hic insanos potis est componere fluctus,
Unus & iratis imperitare Notis.
Hic ille, est celso qui summus ab æthere, terris
Disjicit haud segni flammea tela manu.
Ille etiam totum subiens tremefecit Avernum,
Ultor ubi æterno se probat igne Deum.
Et quæsitior habet fortesque & fata nocentum,
Nec Minos urnam, nec Rhadamante moves.
Qui mare, qui terras, ter magnus & astra gubernat,
Tergemini ridet ludicra regna Jovis.
Ille ubi, quo tumidum graderis Neptune per æquor,
Currus? ubi ille, moves quo freta magna, tridens?
Vane Deum genitor, tua nunc ubi fulmina? ubi illæ,
Sæve, quibus plectis crimina, Pluto, faces?

3

Illæ rudēs quondam populos figmenta movebant ?
Vix ea nunc pueros, credula corda, movent.
Ridiculis conficta jocis, (ignosce Vetustas,)
Nec speciem veri, nec decus artis habent.
Molle, quis in truncum, nisi trunco durior ipso,
Virginis immeritæ vertere corpus amet?
Phœbus amat, Phœbum virgo deludit amantem,
Et fugit, & supplex à patre poscit opem.
Mollia corticibus durantur membra puellæ,
Hoc pretium, Daphne, virginitatis habes!
Callidus in pluvium descendit Juppiter aurum;
Scilicet illa decent splendida furta Jovem!
Quis ferat, emoto quando ruit æquore puppes
Una Jovis conjux, & Jovis una soror?
Cui Mars non moveat risum deprensus adulter,
Nudaque, qualis erat, compede vineta Venus.
O Divos, impune quibus peccare potestas!
Non aliâ Dominos se ratione probant.
Reliquias veterum infames, hæc monstra, Poëtæ
Intempestivis ne revocate jocis.
Si Christo nascente silent oracula, quid vos
Ereptos alio redditis ore sonos?
Usque adeone levis vos Fabula pascit inanes?
Vos inopes rerum Fabula ditat inops!

O utinam prisca remearent lucis in auras !
 Riderent ipsos, quos coluere, Deos
 Prima hæc cura foret Regi, sua sceptrâ supremo
 Asserere, atque uni ponere templa Deo.
Ergo sacra novæ mutant jam Carmina Leges,
Et suis Antiquis præripiatur honos.
 Nos ratio una regat, nec iniqua exempla moremur
 Priscorum, prisca desipere sibi.
 Dîs sine servabit fuetum Natura tenorem,
 Nec minus immensas proferet orbis opes.
 Vos culti sine Pomonâ florebitis horti,
 Floribus accedet, te sine, Flora, decor.
 Pallebunt Violæ ficto sine crimine Phœbi,
 Nativo infiges flore rubete Rosæ.
 Candida virgineum referant intacta pudorem
 Lilia, non vanæ candida lacte Deæ.
 Hesperidum valeant horti, vigilatâque poma,
 Se fatis ipse suo flore coronat ager.
 Nec jam ego te validâ timeam violare bipenni,
 Fatidico frustra Quercus amata Jovi.
 Dum cantu strepit omne nemus, referam-ne volucres,
 Ob veteres rixas jam sua fata queri?
 Ecquid Hamadriades sylvis, quid Naiades undis?
 Sylva fatis donis, & placet unda suis.

Et salient fontes, etsi sub fontibus imis
 Nympharum amplexu non teneatur Hylas.
 Quisquis es, oblectant fictæ quem carmine Nymphæ
 Nescio quis demens pectore vivit amor.
 Ludicra nam molles animos demulcet imago,
 Dum placet umbra minùs, quàm simulata Dryas.
 Inde mali labes, hinc Vatum insana libido,
 Immiscens teneris blanda venena modis.
 Non tamen obvia verba, & inania nomina laudem,
 Permittam ingenio quo decet ire meo.
 Externos vultus nudis affingere rebus
 Nil dubitem, atque aptis res animare modis.
 Bella cano; veniat piceâ Discordia tædâ,
 Non bellatores ducat in arma Deos.
 Aptentur pennæ ventis, famæ oraque centum,
 Centum urbes, totidem perfonet illa tubis.
 Exultent læto montes & flumina plausu,
 Inter saxa mihi garriat Unda loquax.
 Et gemment vites, & pratis rideat herba,
 Quasque æther hausit, terra reposcat aquas;
 Non unâ rerum splendescit imagine Carmen,
 Sæpe ambit proprio nomina mota loco.
 Parciùs est equidem frænanda licentia Vatum;
 Affectant aurâ liberiore frui.

Hanc sed enim observent legem, ne pulsa reducant
 Numina, nil falsâ religione tegant.
 Non ideo incipiet retro sublapsa referri
 Res Vatum, hoc damno Carminis auctus honos.
 Naturæ speciem mendax obscurat imago;
 Aut vera, aut veris fac propiora canas.
 Virgo verecundos tenui velamine vultus
 Celat, & hinc blando gratior ore nitet.
 Sic pulcrum pulcro verum celabis amictu;
 Auro inclusa micat splendida gemma suo.
 At veros licet è fictis expromere sensus,
 Et jam subductâ grandia nube patent.
 Scilicet is Vatum labor est, ut seria ludis
 Turpibus involvant, dedecorentque jocos!
 Quid faciant miseri, si non cantetur Apollo,
 Pierii colles, Pieridésque Deæ?
 Tum demum applaudunt sibi, si rationis egentes
 Obtrudant cantus, & sine mente sonos.
 Ah! potiùs sit mœstum, sit miserabile carmen,
 Lectori & fesso tædia mille ferat.
 Sed majora Deus præbet spectacula, quam quæ
 Infanis Error fingit imaginibus.
 Et quid non poteris? fœcundum concute pectus,
 O Vates, pulcri semina pectus habet.

7

Inspice res intus, mille argumenta ministrant,
Magnaque vel minimis gratia rebus inest.
Quidquid sincerum menti sapientia dicat,
Id sequere adnitens, hanc venerare ducem.
Et veneres linguæ, nec longè quære leporem,
Utro quæsitus promicat ipse lepos.
Sublime ingenium fucum fastidit, & umbras,
Nativis gaudet luxuriare bonis.
O si Naturæ nossent mysteria Vates,
Ingenuâ simplex cresceret arte labor.

CL. SANTOLIUS.



In pace res intus, mille circumstantiis
Morsusque vel minima gratia totus inest.
Quidquid incertum est, sapientia dicitur
Et sapere adhibere, hanc venare dicitur.
Et veritas sicut, nec longe dante laborum,
Utro quatuor promittit ipse labor.
Sapientia incertum, non fallit, & unquam
Mavis gaudet luxuriant bonis.
O si Naturae nosset mysteria Veri,
Ingenium simplex crederet arte labor.

CL. SARTORIUS

